



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij  
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||  
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... ab Aduentu usq[ue] ad Pascha ...

**Eck, Johannes**

**1534**

**VD16 E 292**

D[omi]nica infra oct. Epiphani. Euang. Cu[m] fact[us] esset annoru[m]  
duode. Luc. 2. Homili[æ] 3

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35308**

tus illi spiritus erat, & in eo tamē requieuit plenitudo diuinitatis, atq; ideo incrementum gratiæ in illo, non secundum gratiam in se factum est, sed tantum in exhibitione externa. Et ideo plenitudinem ille habet gratiæ, ut omnes nos ex illa reciperemus, ut Iohānes ait. Et hic quidem in tempore gratiam suam, illic autem gloriam, quam nobis tribuat deus, Amen.

## DOMINICA POST

FESTVM

*Epiphaniæ*

Isaie. 27.  
Actu. 3.



Matth. 7.  
Marc. 1.

IN illo tēpore: Cum factus eēt annorum duodecim, ascendentibus illis in Hierosolyam secundum cōsuetudinem diei festi, consummatisq; diebus, cū redirent, remansit puer Iesus in Ierusalē, & nō cognouerunt parentes eius. Existimantes autē illum esse in comitatu, uenerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum. Et factum est post triduum, inuenerūt illum in templo, sedētem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupēbant autē omnes qui eum audiebant, super prudentia & respōsis eius. Et uidētes admirati sunt.

Et dixit mater eius ad illū: Fili, qđ fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolētes quērebamus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quērebatis? Nesciebatis qđ in his q̄ patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt uerbum quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, & uenit Nazareth, & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia uerba hęc in corde suo. Et Iesus proficiebat sapiētia & ætate & gratia apud *1. Reg. 2.* deum & homines.

## HOMILIA PRIMA.

**A**Nte huius euangelij contextum dicit Lucas, Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die solenni paschæ. Vbi Chrysostomus, *Chrysost.*  
*In festis, inquit, Iudæorum non solum tempus, sed & locum obseruabant. Ita enim præceperat dominus in lege: Tribus uicibus per singulos annos mihi festa celebrabitur: Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram domino deo tuo. Quæ sane festiuitates fuerunt, paschæ seu panis azymi, primitiarum uel pentecostes, fructuum siue tabernaculorum in autumno. Ad hæc tria festa conuenire uiris tantum præceptum erat, mulieribus non item: unde constat, quod Maria dum ascendit in Ierusalem, id ipsum non ex obligatione legali, sed propria fecit deuotiōe. Quamuis qui à Ierusalem procul aberāt, excusati habebātur, etiam si ad festa pentecostes & tabernaculorum non uenirent, sed in festo paschæ nisi morbo excusari non poterant. Et hinc quidem error appareret nostratum hæreticorum, qui festa abrogare conantur & abolere, clamitantes, in nullo diem alium alij esse præferendum. Quæ eorum uox & uana est & erronea & deo aduersa. Nunquid enim non deus ipse festa quædam obseruari præcepit, & quidem lōge præ alijs diebus? sicut & iam auditum est, & alibi dicitur adhuc copiosius.* *Festa.*  
*Exodi. 23.*

Præcipue uero id in festiuitate apparet paschali, quam solenniter adeo Iudæi obseruare cogebantur ex præcepto cū agno paschali, qui typus erat ueri paschalis agni Christi, qui uenturus erat. Et nos cur non potius magisq; merito de iis quæ præterierunt, festa celebremus, quoniam pascha nostrum immolatus est Christus, sicut idem agni paschalis festum Iudæi de eo quod futurus erat, celebrabant?

2. Corin. 5.

Luc. 2.

geda.

Thren. 9.

¶ Ac nunc quidem post hæc sequitur euangelium hodiernū: Cum factus esset (Iesus) annorum duodecim, ascendit illis Hierosolymam &c. Vbi tu principio narrabis, quod dominus Iesus nihil in sua pueritia p se operatus est admirabile, ut inquit Chrysostomus, nisi quod deus pater per magna miracula, per angelos, per stellam, natiuitatem filij declarauit. Vnde libellus de infantia CHRISTI, qui multa habet inaudita miracula, a sanctis patribus ut apocryphus reijcitur. Quia autem iam ante euangelista creuisse CHRISTVM plenum sapientia commemorauit, nunc dicere pergit. Quomodo ille sapientiam suam tantam declarauit. Dominus nanque, ut ait Beda, inter homines homo natus, fecit quod faciendum hominibus per angelos imperauerat deus. seruauit ipse legem quam dedit, ut nobis qui puri homines sumus, seruandum per omnia, quicquid deus iubet, ostenderet. Sed ut supra hominem, cum duodecim adhuc esset annorum, disputauit cum sapientibus Iudæorum, quod alibi impossibile est, ut puer hac maxime ætatula, nisi scientiam habuisset desuper, disputationem tantam subire ausus fuisset. Numerum annorum duodecim doctores hic ad sensum exponunt spiritalem: quod, quia idioras scire parum refert, pertransio. Alia dicam quæ nosse plus retulerit. Principio, quoniam pueri ab ipsis iam in detineris unguiculis assuescendi sunt pietati & cultui diuino, tu quisquis es, liberos tuos prima statim ætate tecum adduc in templum, audiat ibi Missam, auscultet & obseruet uerbum dei, aquam sumat benedictam, cæterasq; discat ceremonias non negligere, ut sic unã cū annis suis crescat in illis amor dei & cultus pietatis, sicut Ieremias dicit: Bonum est homini qui portat iugū domini ab ado-

Rescencia sua. Profecto enim cum pertinax induruerit iu-  
 uentus, frustra laboraueris: & quod semel curuum, haud  
 unquam rectum. principis primæ statim ætatis occur-  
 rendum est, quod & Sapiens prudenter consuluit, ut o- *Ecc1. 7.*  
 mnia: Filij tibi sunt? erudi illos, & curua illos a pueri-  
 tia eorum. Curua, inquit, ad similitudinem uirgulti, qd  
 dum tenerum est, in quamuis partem & quemcunque  
 uolueris modum flexibile est: sed cum iam induruerit,  
 fregeris citius quàm flexeris. Ad honorem ergo & ti- *Ecc1. 10.*  
 morem dei educa liberos tuos. Melior est enim unus ti-  
 mens deum, quàm mille filij impij. Et hoc est quod Ioel  
 docuit, quibus modis iram effugiamus diuinam, dicens:  
 Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, uocate co- *Joel. 2.*  
 rum, congregate populum, sanctificate ecclesiam, coad-  
 unate senes, congregate paruulos & sugentes ubera.  
 Ecce, quomodo hic docemur in honorem dei infantu-  
 los quoq; esse ad templa ferendos, eorumq; nomine orā-  
 dum deum, ut si peccatis sit iratus seniorum, saltem in-  
 noxio & innocenti parcat sanguini paruulorum, ob eo-  
 rumq; innocentiam faciat nobiscum misericordiam suam.  
 ¶ Hinc quoq; discas sapientiam tuam non ubiq; teme-  
 re ita profundere, quasi omni debeat innotescere mun-  
 do, sed competenti sapere & tempore & loco, ut recte *Ecc1. 8.*  
 dixerit sapiens ille Salomon: Tempus & responsio.  
 nem cor sapientis intelligit. Et hoc quoque indubita-  
 rum est, quisquis sapientiam suam constare cupit omni-  
 bus, stultus est & stolidus. uult enim potius uideri sapi-  
 ens quàm esse. Christ<sup>9</sup> nanq; summa illa dei patris sapiē-  
 tia, celauit eam usq; in duodecimū annū, qua fere ætate  
 aduenit pueris usus rationis & intellectus. tunc demum  
 suam quoq; Christus sapientiam reuelauit. 2. Euange. *Christus*  
 lium habet Christū Hierosolymis mansisse, Maria tamē *cur mase-*  
 & Ioseph eum in reliquo esse comitatu arbitrantibus. *rit Hiero*  
 Hic si quis quærat cur ille inscijs parentibus istic reman- *solyms.*  
 serit, in promptu causa est, propria eum ibi mansisse tum  
 uoluntate, tum ordinatione, ut sic toti mūdo declararet,  
 q̄ ardentissimo desiderio & quodam zelo feruenti duce-  
 retur adhuc puer rerum cælestium, ut ipse dicebat, eoz  
 quæ patris sui erant. Quis hæc q̄q; adsignari ratio pos-

fit, ne ab illis per parentes abstraheretur, neue contemptor horum haberetur, si rogatus ab ipsis, ut secum pergeret in Nazareth, restitisset, ideoque tacitus rem suam & patris caelestis negocium procurauit.

**Beda.**

¶ Aliam quoque adhuc quaestionem hic inducit Beda: Quo tandem modo dei filius tanta parentum cura nutritus, hic abeuntibus potuerit obliuiscendo relinqui. Cui respondendum, quia filius Israel moris fuerat, ut temporibus festis uel Hierosolyma confluentes, uel ad propria redeuntes, seorsum uiri, seorsum autem foeminae choros ducentes incederent, infantesque & pueri cum quolibet parente indifferenter ire potuerint. Ideoque beatam Mariam uel Ioseph uicissim putasse puerum Iesum, quem se comitari non cernebant, cum altero parente reuersum.

**Zach. 12.** Eius adeo rei fundamentum ex Zacharia adducunt, dicente: Plangent terrae, familiae & familiae seorsum, familia domus Dauid seorsum, & mulieres eorum seorsum &c. Quamuis ipsa per se ratio causam praebet sufficientem, quod honestatem illud decebat conuersationis sanctae, non citra omnem pudorem temere in leuitate & inordinate hincinde discurrere, sicut prohdolor hodie magno scandalo inter Christianos fieri uidemus: quod sane eorum qui magistratum gerunt, interesset praecauere. Hinc & ex illo Iudaeorum more omnino factum est, ut existimate Ioseph puerum in comitatu esse muliebri, & uicissim Maria putante esse illum inter uiros, facilius puer remiserit, & neuter interim parentum nec negligentiae, nec reprehendendus ueniat leuitatis. Quid multis opus est sic uisum, sic constitutum & ordinatum erat a spiritu sancto.

**3.** ¶ Diligentiam parentum insinuat euangelista, in quaerendo puero inter amicos & cognatos, ubi tamen eum non inuenerunt. Quod attendentes sancti patres, uolunt inquisitionem istam altero demum die factam, & sic eos die tertia tandem Hierosolymam esse reuersos. Cum autem sedulo puerum inter amicos quaesiuissent, nec tamen inuenissent, exterriti sunt uehementer, metuentes ne quod Herodes in infantia eius patrare quaesierat, iam in pueritia positum, inuenta opportunitate, alij interficerent. Metuebant etiam praeter alios Archelaum Herodis filium

**glos. ordi.**

lium, magnoq; demum dolore reuertebantur in Ierusalem, non ignari pietatis & assiduæ orationis pueri, cogitantes in templo diutius solito eum remansisse, dicendo cum propheta: Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Sed & spiritali sensu, explicari solet illud hoc modo: Quoniam non inter amicos inuenitur dominus, non inter familiares, sed Hierosolymis, in tēplo, in locis sanctis, ubi seruitur deo. Apud amicos non semper reperias consilia bona & salutaria uitæ, unde & insalubre agnoscitur illud, quod interdū parentes, fratres item aut sorores, aduocant & ad se domū recipiunt religiosos suæ familiæ, qui si diutius domi desideant, quid boni pariat? An non messem carnis quàm spiritus semper uides huberiuorem? Atq; ideo Paulus dicebat, Nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem, quo consilio quicumq; de generatione illa cupit esse sancta, de qua dixit Dauid, Hæc est generatio quærentium faciem dei Iacob, hoc idem faciat cum Maria & Ioseph in tēplo. Religiosi & q in cœnobijs ex uoto habitare assueuerunt & debent, si quando erumpunt, fit in illis, quod Dauid dixit: Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum. De quærendo dominum alibi forte dicitur: nūc satis sit, admonitos esse uos, ut dominum Iesum & quæcunq; placent illi, quæratu diligenter, non inter cognatos & familiariter notos. nam & cognitio dei, & omne quod pertinet ad salutem, maius utcunq; est, quàm quod humana per se possit adsequi conditio. In templo ergo quæritur deus, inter uerbi diuini præcones, in templo dei filium, ipsam nimirum sapientiam dei inuenies.

Psalm. 250

1. Corin. 5

Psalm. 230

Psalm. 108

4. Contemplantur etiã hic sanctissimi quicq; patres anxiam utriusq; parentis Christi compassionem, cum iam CHRISTVM amisissent, ubi etiã gladius Simeonis pertransiuit animam Mariæ. Contemplantur quoq; quibus illa fletibus, quàm profusis lachrymis discurrerit undiq; amaritudine maxima concepta, quod filium nec apud Ioseph, nec apud cognatorum quenquam inuenerit. Quantas ibi inquietudines noctu tam perrurbata sensit sanctissima uirgo pro filio suo dilectissimo, thesauro spūs sancti. Quisq; igitur fidelium diligenter expendat, secumq;

Cōpassio  
Marię de  
amisso pue  
ro.

h

recogitet triduanum istum dolorem Mariæ, maximum sane & acerbissimum, quum usque adeo sollicita dominum Iesum quæreret undique. Verum sancti doctores admirantes quidem facta illa Evangelica, & tamen considerantes interim ibi spirituales quædam & illustratas diuinitus significationem, intelligunt & inquirunt hic triplicem legem: naturæ, Moysis & gratiæ Christi: In prima illa Christum patres & sancti quæsierunt patriarchæ, & similitur altero die reges & prophetæ sub lege Mosaica: nec tamen utrinque quem quæsierunt, inuenerunt. Ad extremum gentes sub euangelio die tertio illum inuenerunt in templo ecclesiæ catholice. Quod & Christus professus est, dicens: Multi reges & prophetæ uoluerunt uidere quæ uos uidetis, & non uiderunt: & audire quæ uos auditis, & non audierunt.

**Roma. II.** ¶ Et quod gentes Christum inuenerunt, Paulus testatur, cum ait: Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus. Electio autem (hoc est, gentes) consecuta est. Sunt quæ triduum hoc ad penitentiam referant, eo quod qui triduum totum fideliter perambulat, diem unum in contritione, secundum per confessionem, & tertium per operum bonorum satisfactioem, dominum Iesum certo inueniet, insuper signum illi dabitur certum & ineffabile, sacramentum sacerdotalis absolutionis, loco dei. Quod & in figura dictum est de Iudæis, Ibimus uiam trium dierum in solitudinem, ut immolemus domino deo nostro. Vicissim quoque peccatores triduum sibi quærent in uia diaboli, quæ ducit ad inferos, per malas cordis cogitationes, per peruersas locutiones oris, & sceleratas operationes. Ponderant etiam hic doctores nonnulli, quomodo non temere triplices personæ CHRISTVM quæsierint ab infantia sua. Pastores quidem in præsepi adhuc positum inuenerunt: tres Magi, qui eundem inuenerunt in Bethleem cum Maria: & nunc Ioseph unam cum Maria in templo. Qui autem ibi significantur, prælati nimirum, spirituales quoque, & alij laici Christiani, cuius expeditum & facile est ex scripturis colligere. Pastores enim prælatos designat, Iezechielis trigesimo quarto, quomodo se CHRISTVS ipse pastorem dixit, Magi, spiritua-

**Luc. 2.**

**Joh. 10.**



les homines significabant, quoniam illis peculiaris stella relucet ex deo & gratia, ut cum mundum potenter reliquerint, Christum inueniant in Bethleem, hoc est, domo panis: sicq; in cenobijs pie & sancte uiuant, letitia imensa & gaudio perfruantur spiritali, inq; uita contemplatiua pascantur assiduo. Per Iosephum & Mariam patres Christi, omnes figurati sunt homines pii & Christiani, iuxta uerbum domini: Qui fecerit uoluntatem dei, hic *Marci. 9* frater meus, & soror mea, & mater mea est. O ergo dulcissime domine Iesu Christe, gratiam nobis tuam clementer impende, ut ita uoluntatem patris tui caelestis ualeamus hic implere in terris, quo tandem te in felicitate inueniamus aeterna, Amen.

## HOMILIA II. DE DOMINICA

*post Epiphaniam domini proxima.*

**F** Actum *Lucas*, inquit Lucas, post triduum, inuenerunt illum in templo. &c. Atq; ibi quidem expendendum est principio diligenter, quod in templo Christum inuenerint, non in diuersorio, non in ludo, & non circa alias id genus uanitates, quas etiam pueri exercere solent, sed in templo, ut hic habeas exemplum filios tuos quoq; educandi & erudiendi, ut & ipsi templis assuescant, sicut sanctus Nicolaus & sancta Elizabeth fecerunt, alijq; complures, qui ab infantia statim sua pietati sese addixerunt & orationi sedulae, quod priore iam sermone diximus. Discant hinc seniores etiam cum iuuenibus Christum se non inuenire, ac proinde nec quaerere debere, in symposijs & potatog; conuenticulis, in foro ite & alijs huiusmodi locis uoluptuarijs. In templo quaerendus est, & ibi inuenitur in sermonibus & sancto dei cultu. Et tu ergo, inquit Origenes, quaere Iesum in templo, quaere in ecclesia, ubi Christi sermonem atq; sapientiam id est, dei filium reperijs. Quamuis Ambrosius spiritualem hinc eruere sensum conatur, dicens Christum post triduum esse repertum in templo, ut esset indicio, quia post triduum triumphalis illius passionis in sede caelesti & honore diu-

- Beda.** no fidei nostræ se resurrecturū offerret, qui mortuus credebatur. Sic inuētus est ille, ait Beda, in medio doctorum sedens, quasi fons sapientiæ. Sed tamen quasi exemplar humilitatis audire prius & interrogare doctores, quàm instruere quærit indoctos. Vnde discere debent iuniores, ut, si qua illis data sit gratia diuinitus tanta, ut præ alijs quid sciant: ne nimium præsumant, ne ceteros spernant, sed alios quoque placide audiant, alios interrogent: quod hic summa dei patris sapientia Christus fecisse conspicitur. Et hinc quidem duos considerare debemus acquirenda sapientiæ gradus, quorum prior est, ut qui sapientiæ studeat, audiat & auscultet diligenter, iuxta uerbum illud
- Doctus quò stas** Sapientis: Audiens sapiens sapientior erit, & intelligēs gubernacula possidebit. Ita oportet modis omnibus auditum illum præcedere, ne forte cōtingat istud quod Sapiens dixit: Qui prius respondet quàm audiat, stultum se esse demonstrat & confusione dignum. Itaque quisquis respondere uult, causa nondum satis intellecta, sapiētes prius interrogare debet & seniores, sicut præcepit in lege dominus: Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: seniores tuos, & dicent tibi. Hoc si iam obseruaretur consilium, ut est consultum prudētissime, non tot undique calamitatibus distineremur: neque tot passim nos angerēt miseræ, dum nouelli isti Christiani & hæretici soli sapere, soli que scire sibi uidentur omnia, sapientiam habentes per se ultro natam, audire uolūt neminem, nec quēquam interrogare sapientū. Quod utique si facerēt, patres sanctos sanctaque requirentes concilia, primo statim aspectu se deprehenderent errare, seque scripturas sacras falso & cōtra uerū spūs sancti intellectū explicare, & aliud non iactare nisi cōmenta propria & ineptissima somnia, glossemata fictitia, & uanissimas doctrinas. Verè hæc aliās. Aliter nos docuit dominus Iesus, qua fuit ille humilitate, doctores audiuit, non quod ex his quicquam didicisset, cum esset per se
- Colos. 2.** omniscius, essentque iam ante in eo thesauri omnes sapientiæ diuinæ reconditi, ut Paulus scriptum reliquit: sed quod suo ille facto docere nos uoluerit, ut ipsi quoque alios audiamus. ille enim cum facere simul cœperit & docere, merito etiam auscultauit, interrogauit, respōdit. Siquidem
- Actū. 1.**

ex uno doctrinae fonte manat & interrogare & respondere sapienter, ut ait Origenes. Nam sine ratione temere interrogare, magis hominis stolidi est quam sapientis, quomodo plerique uideri uolentes, tantum temerarias & sua sententia subtiles, in se tamen inutiles, proponunt quaestiones. Quamobrem recte dixit Sapiens ille Ecclesiastes, *Proposui in animo meo quaerere & inuestigare sapienter. Sed ad Timotheum Paulus sic scribit: Stultas & sine disciplina quaestiones deuita, sciens quia generant lites. Vespere quid hic interrogauerit Christus, euangelista non expressit.*

Origenes

Eccles. 1.

2. Timo. 2.

2. ¶ Sequitur: Stupebant omnes, quae eum audiebant, super prudentia & responsis eius. Satis est hoc nobis, scire, etiam si, quid tum responderit, tum interrogauerit, ignoremus, satis inquam est nobis, ita eum & respondisse & interrogasse, ut in stuporem omnium uerteretur: quomodo beatus Hieronymus in prologo Bibliam dicit: Duodecim annos saluator impleuerat, & in templo sedens de quaestionibus legis interrogans, magis docet, dum prudentes interrogat. Qui sane fulgor erat & radius, quem ille relucere permisit ex diuina sua sapientia, sicut undique in euangelio fecit, ubi operaturus aliquid in humana natura, subinde concurrere aliquid fecit quod diuinitatem suam argueret, sicut hic Beda dicit: Quod ipse duodecim in templo federit in medio doctorum, audiens & interrogans illos, humanae est humilitatis indicium. Et inde: Qui idem uerus homo & uerus erat deus, ad ostendendum quae homo erat, homines magistros audiebat: & ad comprobandum quia deus erat, eisdem loquentibus sublimiter respondebat. Et hoc quidem magnum fuit ex deo miraculum, quod omnes illi puerum cum stupore quodam admirabantur. Quod magis apparebit nobis, ubi ipsa euangelistae uerba propius inspexerimus. Ait enim: Stupebant omnes qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius. Et uidentes admirati sunt, ut sic omnis illa admiratio ad ea quae tum audierant, tum uiderant, uergebat. Audierant autem sublimem sapientiam, & uiderant teneram adhuc illius in annis pueritiam, in qua communis naturae cursu non magna latet sapientia (quamuis non ignorem quosdam admirationem uidendi ad Mari-

Hierony.

Beda.  
Regula.

am referre & Ioseph, communius tamen intelligi illud de omnibus quotquot aderant, sicut utrunq; sensum hic  
**Glos. ord.** Glossa ordinaria habet. ) O q̄ felices futuri erāt doctores illi & Iudæi, si scripturas suas scrutari uoluissent, & uiderent, quis quantusq; puer ille esset, in quo intellectus & sapientia lumē tantum refulgeret. Inuenissent utiq; apud  
**Isaie. 9.** Isaiam illud, Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principat<sup>9</sup> super humerum eius: & uocabitur nomen eius, admirabilis, cōsiliarius, deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Hinc dicere poterant facillime, quid in hoc puero admirarentur potissimum, quis esset, sicut ex multis alijs cerrissimis argumentis euidenter cognoscere debebant, Messiam illum esse suum, totiusq; mundi redemptorem. unde apud Iohannem dicebat: Scrutamini scripturas, quia uos putatis in ipsis uitam æternam habere: & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Et deinceps, Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi. de me enim ille scripsit.

3. ¶ Et dixit mater eius ad filium: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Quamuis Ioseph pater Christi habebatur, ipse tamen ea non erat confidentia, ut illum increpasset, quoniam firmiter credebat ipsum, filium esse dei, sicut audierat ex angelo: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam cōiugem tuam. quod enim in ea natū est, de spū sancto est. Passus itaq; est Ioseph Mariam Christum alloqui, quæ adfectu materno dicere filio poterat, quod Iosepho nō itē licuisset. Et ecce Maria quoq; Ioseph patrem uocat domini, opinione & fama uulgi quidem, sed magno & occulto quodam consilio spiritus sancti. At quo animo Maria interrogārit, hic inquirunt doctores sancti, purantes Mariam nihil horum dixisse adfectu corrigendi & increpan di filium, quasi male id fecerit: sed quia nōrat filium illū esse dei & sapientiam summam, ideo scire cupiebat, quāobrem illud fecisset, non ignara eius quod dixit Iob, Nihil in terra fieri sine causa. quasi diceret et Audire cupimus & cognoscere, cur nos reliqueris, cum scieris (ut te nil la tet) quibus doloribus & lamentis te quæsiuerimus. unde dominus ipse causam tantum assignat, cur in templo re-

**Job. 1.**

manserit. Et hic itaq; discant omnes qui amiserint domi-  
num, quibus modis eum rursus quærant, exemplo nimi-  
rum Mariæ, cum dolore, cum contritione & pœnitentia  
peccatorum: quod si non fecerint, dominum nunq̄ omi-  
no inuenient. Vere enim qui Christum quærit in dolore,  
inueniet eum in lætitia, iuxta illud Psalmi: *Lætetur cor* *Psalm. 104*  
*quærentium dominum: quærite dominum & confirma-*  
*mini, quærite faciem eius semper.* Quisquis ergo es ho-  
mo peccator, qui dominum Iesum amissisti, hoc ipso bo-  
num summum amissisti, ne congescas igit, quære dominū,  
& (ut Ieremias ait) scito simul ac uide, quia malum & ama- *Jeremi. 29*  
rum est reliquisse te dñm deū tuū, & nō esse timorē eius  
apud te, dicit dñs deus exercitūū: *Quære itaq; dñm deum*  
*tuum, salutare tuum, medicū illū tuū & saluatorē.* idipm  
fac diligenter cū dolore, humilitate & ardenti charitate,  
sicut Maria & Ioseph fecerunt. Et inuenies eum propiti-  
um tibi, clementem plane & misericordem In ijs quæ pa- *Matth. 7*  
tris sui sunt negocijs, sicut idipsum Christ⁹ fieri iussit, in-  
quiens: *Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulsa-*  
*te, & aperietur uobis.* O beatam animā, quæ assiduo quæ-  
rit dominū, qđ mystica illa sponsa facit, dicens: *Indica mi-*  
*hi quē diligit aīa mea, ubi pascat, ubi cubet in meridie.*

4. ¶ Respondit ad hæc iam Iesus matri suæ Mariæ: *Luc. 2*  
*Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in ijs quæ*  
*patris mei sunt, oportet me esse? Hic est quod sapientiam*  
*illam dei admiremur immensam.* Maria enim Christo pa-  
trem proposuerat Ioseph, qui pater nō uerus illius erat,  
sed ideo habitus tantū, qđ & nutritus esset, & Mariæ mari-  
tus. Verum longe alium, tū sublimiorem, tū excellentio-  
rem patrem suum Christus uicissim nominat, deū adeo  
illū patremq; cælestē. Nihil itaq; ac ne in minimo quidē  
hic eos Christus, qđ se quæsierint, increpauit. tantum pe-  
ctora eorū & corda eo eleuare uoluit, ut cogitarent plus  
se patri debere deo, qđ ei quæ corporis tantū erat mater.  
Quis ergo ut hominis filius, cū parentibus quō iubente *Bedæ*  
statim regredi, antea tamen quasi filius dei in tēplo cō-  
morabatur. unde & dicebat: *Quid est quod me quæreba-*  
*tis? Quasi dicturus erat, nō hoc necessariū fuerat, siquidē*  
*non hinc inde uagabundus discuro, nec alicubi pereo,*

ubi sim scio. quid mihi rei sit, apprime noui. nō est quod uel inter amicos uel uicinos me quærat, sed in patris mei negocio, in ipso templo nimirum, quod dei propriū est, dicente propheta: Domus mea domus orationis uocabitur. Et hinc cum Maria Ioseph dixisset patrem eius, ille dixit: Non est hic uerus pater, alioqui in domo eius mansissem. sed deus est pater meus, & propterea in domo illius sum, hoc est, in templo illius. Hæc Theophylactus.

**Theoph.** ¶ Vbi obseruandum etiam est Christianis omnibus, ut spiritualia omnia pluris faciant quàm hæc corporalia, quamuis animalis homo cōtrarium ferè faciat, quam obrem & Paulus ait: Omnes quæ sua sunt quærunt, nō quæ Iesu Christi. Et Bernardus flendo dicit: Cadit asina, & est qui subleuet: perit anima, & non est qui curet. Vsq; adeo, proh dolor & impij sumus, beluini, planeq; efferi, usque adeo immemores sumus salutis animæ, & eorum quæ ad hanc sunt necessaria, ut magis cordi curæq; sit nobis, afficiat etiam magis, si quando uacca cui pereat aut equus, si cōflagret domus, quàm si gratiam dei amittat. An nō signum hoc est modicæ fidei: non etiam euidenter arguit nos rem tantam aut non satis intelligere, aut male expendere? Quod utiq; si faceremus, non adeo nihili mortem animæ penderemus: & ista temporalia, iniqua & impia bona in maximo precio haberemus. Vnde tamen fidelissimo plane consilio nos dehortatus est Christus, dicens: Quid prodest homini, si uniuersum mundum lucratur, animæ uero suæ detrimentum patiat? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Et nondū ex eis colligere potes eximiam animæ dignitatem? quā si in unam libræ lancem posueris, in alteram uero solē, lunam, cælum & terram, mundūq; hunc uniuersum collocaris, autore Bernardo, illa tamen sola nō præponderabit omnibus: atque adhuc tamen ita deliramus, ut non doleamus de Christo amisso: nec illum cum dolore quæramus, non omnino in scij q; si Christū amiserimus, actū iam sit de nobilissima illa creatura anima nostra: quæ quidem iactura tanta est, ut ob eam merito mundus dolere debeat, totusq; orbis terræ tristari, ob unam animam perpetuis gehennæ flammis & cruciatibus torquendam. Vt

**Philip. 2.**  
**Nota.**

**Matth. 16**

**Bernar.**

que adeo tenui nobis hæc omnia filo pendent? nec est qui curet, quin potius ob exiguam & momentaneam uoluptatulam animam perdimus. Eua animam suam unico pmo uelut uendidit in paradiso. Loth uini hauſtu animam perdidit. Dauid breuiſſima cum Vriæ uxore uoluptate animam commutauit. Quamprimum igitur aliquis hoc modo concupiſcentiæ malæ aduerſus dei præceptum ſatisfactorius animæ ſuæ, quod quidem ſibi uidetur, bene cupit eſſe & facere, perdet eam, ſicut dñs ait. Vos ergo dilectiſſimi, ſi quando animam ueſtram perdiditiſtis, ſi Chriſtum amiſiſtiſtis, triduum totum quærite anxij & cum dolore, per contritionem, pœnitentiam & ſatisfactionem, & in templo cordis ueſtri inuenietis eum, dicente Apolto: Vos eſtis templum dei, & ſpiritus dei habitat in uobis. O quam felix & beatus eſt homo, qui ita dominum Ieſum inuenit in templo, ut ipſe dei templum efficiatur?

¶ Nunc uero priuſq̃ concludamus, libet ex illis uerbis dñi, doctrinam unicam adhuc colligere contra nouelloſ ſeculi noſtri Chriſtianos. Quædoquidẽ hic Chriſt<sup>9</sup> matri ſuæ proponenti ſibi humanam illam & carnalem natiuitatẽ aliam obiecit ſublimiorem longe & digniorem, cui non tantum plus deberet ipſe, ſed in cuius ſe quoq̃ negocijs oporteret eſſe: aperte & luce clariuſ ſequitur, hominem aliquem nũc quoq̃ ſalutis animæ ſuæ cauſa quærerẽ poſſe honorem dei, modo iam ad legitimam ætatem peruenit, etiam contra utriuſq̃ parentis uoluntatem, ita ut puer aliquis Chriſtianus fieri poſſit reſiſtente patre, ſiue Iudæo, ſiue Ethnico: poſſit etiam habitum uitamq̃ religioſorum ſuſcipere, & ſe in monaſterium abdere quilibet inuito parẽte. Idq̃ adeo cum hic, tum in multis alijs ſacræ ſcripturæ locis firmiter eſt fundatum, ita ut quicũq̃ contradicere præſumunt Lutherani, ſpiritu ſancto aduerſentur in hoc & ſcripturæ: quod & eſſe ueriſſimum, aliunde probari poteſt ex Luca, ubi dicit dominus: Si qſ uenit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem, & uxorem & filios, & fratres & ſoroſ, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Sed & (ut ſapienter expendit beatus Ambroſius) cum noſtra cauſa, Chriſtus matri ſuæ renunciãrit eum ſibi fratrem, imò &

- matrem & sororem dicendo, quisquis uoluntatem serua-  
ret patris sui, cur non & nos propter Christum possem<sup>9</sup>  
parentibus renunciare nostris? non tamen ita, ut in hoc  
obliuiscamur naturæ, sed ut potius naturæ honoremus  
autorem. Et ideo quodcumq; nos in laudem & hono-  
rem dei, ad animæ nostræ salutem, mundum istum ois  
mali machinatorem relicturi, ad uitam properamus mo-  
nasticam, parentibus nostris nos impedire uolentibus,  
dicere debemus cum Christo: Quid est quod in mundo  
me quæritis? An nescitis, quod in ijs quæ patris mei sunt  
cælestis, me magis occupatum esse oportet? Aut nõne qđ  
Christus dixit, uerissimum est, Qui amat patrem aut ma-  
trem plusquam me, non est me dignus? In tali itaq; casu,  
quum parentes sancto filij sui proposito resistere uolent,  
quo minus in cœnobium abeat, ubi sancte & pie sub Chri-  
stiana uiuitur disciplina, locu m habebunt pulcherrima il-  
la & adfectu pietatis plenissima uerba sancti Hieronymi  
in quadam ad Heliodorum epistola: Licet paruul<sup>9</sup> ex col-  
lo pendeat nepos, licet sparsa crine & scissis uestibus, q-  
bus te nutrierat hubera ostēdat mater, Met in limine pa-  
ter iaceat: per calcatum perge patrem, siccis oculis ad ue-  
xillum crucis euola. Solum pietatis genus est in hac re ef-  
se crudelem. Ad hunc modum sanctus Bernardus quoq;  
in sermone 2. dominicæ post octauas Epiphaniæ, Vt quid  
inquit, fratres, ut quid sic Christus respōdit matri? Quid  
mihi & tibi est mulier? Vtiq; propter nos, ut conuersos ad  
dominum iam non sollicitet carnalium cura parentū, &  
necessitudines illæ non impediāt exercitium spirituale.
- Luce. 2.**  
**Matth. 10.**  
**Hierony.**  
**Bernar.**  
**Augustin.**  
**de uerbis**  
**domini.**  
**Heb. 12.**  
**Luce. 9.**
- Eadem quoq; plane diui Augustini sententia est: Honorā-  
dus est pater, sed obediendum est deo. Ego, inquit domi-  
nus, ad Euangelium te uoco, ad illud opus mihi necessa-  
rius es, magis est hoc quàm quod uis facere, scilicet sepeli-  
re patrem. Sunt aliq; qui sepeliāt mortuos suos. Amate pa-  
rentes, & præponite deum parentibus. Probat ille etiam  
hoc idem ex Paulo dicente: Patres quidem carnis nostrę  
eruditores habuimus, & reuerabamur eos. Non multo  
magis obtemperabimus patri spirituum, & uiuemus? Et  
alio adhuc in loco Augustinus ait, scripturam præcipere  
nobis parentum dilectionem, sicut membrorum inter-



norum, dum modo nos non impediunt a cultu diuino: quem si nobis prohibuerint, sepulturam quoque eis iam non debemus. Quotquot igitur reluctantibus parentibus, sese in probaram & spectatam uitam dedunt monasticam, magis in hoc grati sunt deo, sicut habetur in lege: Qui dixit patri suo & matri suae, nescio uos: & fratribus suis, ignoro illos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum. Possent adhuc complures utriusque testamenti in hanc rem adduci scripturae, quibus omnibus uolens superledeo, quando quos iam supra faciemus fidei adhibuimus locos, satis possunt facere cuius pio & catholico Christiano, ita ut circa hoc negocium facillime per illos conscientiam suam informare queat & imbuere, uitam tandem adepturus aeternam, Amen.

## HOMILIA III.

*Dominica post Epiphaniam domini.*

**S**anctus Lucas in euangelio hodierno, descendit, inquit, puer cum eis, & uenit Nazareth, & erat subditus illis. Vbi Beda diligenter considerat, quomodo **Beda.** Euangelista iam ante dixerit Mariam & Ioseph non intellexisse uerbum, quod locutus est ad eos, quod nimirum in iis quae patris sui sunt, eum esse oporteret: & tamen illis obtemperat, abiens cum eis quocumque uolebant, in omni obedientia subditus eis, quae sane summa fuit Christi humilitas, eademque forma & exemplar nostrae uitae. cum enim honor uertebatur diuinus, patrem reliquit & matrem: illo peracto, rursus paruit illis deus & homo. Itaque hic mihi obseruate superbi omnes & pleno fastu inflati Christiani, qui uobis iuxta iam recens natam doctrinam uidemini etiam intelligere euangelium, omnemque scripturam tanquam apertam & cuius peruiam, nec aliud ibi ponderatis, nisi ut legere possitis. Magna & profunda haec immensa radix est superbiae, qua quis suo nimium tribuit intellectui, unde plus quam sexcenta haeresum pullularunt germina. Ecce Lucas hic refert,

**Luce. 2.** Mariam & Ioseph, qui tamen pleni erant spiritu sancto, Christi adhuc pueri non intellexisse uerba. Et uos uacui omnis spiritus diuini, sermones Christi in sua perfectione intelligetis? Sed & Paulus quod stultū, inquit, est dei, sapientius est hominibus. Et de epistolis Pauli sic pronūciat Petrus: Scripsit uobis charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam, sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de ijs in quibus sunt quædam difficultia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Hic uidemus difficiles etiam à sancto Petro iudicari Pauli epistolas, quas nouelli theologastri clamitant esse faciles. Sed argumentum hinc petimus, epistolas suas Paulo adhuc uiuenti esse deprauatas.

¶ Non est ergo quod mirum fiat tibi, quisquis uere catholicus, id nunc quoque Lutherum cum suis sectatoribus facere, dum laborant & student altissimam illam diuinæ maiestatis perscrutari sublimitatem, suoque stupidissimo intellectu inuestigare. Verum non sic, non sic inquit, sed oportet, quod diligenter monuit Paulus, captiuare intellectum ad obsequium Christi. Quod si itaque nostrates isti nouelli Christiani noluerint Pauli consilio, intellectum suum captiuare in obsequium fidei & dei, Paulum nunquam intelligent. Quid quod ipse Hieronymus q. 8. ad Algassiam, Epistola, inquit, Pauli ad Romanos multis est obscuritatibus inuoluta? Id cum sanctus ille faretur Hieronymus, tantus dei amicus, doctor tam eximius, in literis sacris à puero tam exercitate instructus, inter cæteras linguas Hebraice, Græce & Latine doctissimus, quod ita temere auderet præsumere Lutherani isti idiotæ, agricolæ, cerdones & mercatores, imò uetulæ quoque & ancilæ rancidæ, sibi quoque uelut peculiare sumunt munus interpretandi scripturas, non secus ac si spiritum sanctum in manica uel sinu secum circumferrent? Vah, quæ tibi impietas est insolentissima superbia: tu Luciferum extrusisti cælo, tu primos parentes nostros expulisti ex paradiso. Nunc tot hominum millia è nauicula Petri præcipitas, ex ecclesia in æternum deificis damnationis barathrum. At nonne ista horrenda & plus quam Luciferiana est superbia,

**Hierony.**  
**Superbia**  
**hereticorum**

eum qui per omnem uitam suam in literis sacris nunquā sit exercitatus, intellectum tamen suum & expositiones, quantumuis rudissimas, præferre uelle sanctis patribus, Concilijs sacris omnibus, imò ecclesiæ uniuersæ, ultra mille quingentos annos?

¶ Quid itaq; mirū si eueniat eis, quod dixit propheta in persona domini, Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo? ubi sapiens? ubi scriba? ubi inquisitor huius seculi? Nonne stultam fecit deus sapientiam huius mundi? Hæc isti quotidie etiam legunt in Paulo uerba: uerum, qua sunt quamq; excæcata temeritate, non intelligunt. Et accidit illis idem quod Iudæis, qui dum manifestas de Christo scripturas non intelligerent, nec tam admirandis Christi miraculis crederent, ait euāgelista eos credere non posse, siquidem de ipsis Isaias prædixerat: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorū, ut non uideant oculis, nec intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos. Ita plane indurati nunc sunt isti nosterici Christiani, quorum tamen misereatur aliquando deus, eosq; illuminet, & a tam impijs erroribus cōuertat. Et nos interim Christiani humiles intellectum nostrum maioris non faciamus, quā illi suum fecerunt Maria & Ioseph, scientes quod scripturam sacram intelligere non possumus sine fide & gratia dei. Sequamur ergo illā scripturæ interpretationem, quæ iam olim data est à sanctissimis concilijs & patribus diuinitus illuminaris. Multis enim illa modis intellectum nostrum excedit, cum ei⁹ capaces etiam non simus, sed confiteamur magis cū Iob, dicentes: Cum uix paruam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illi⁹ intueri?

2. ¶ Porro iam doctores uelut uno omnes ore concorditer dicunt, Christum Mariæ obtemperasse & Ioseph ut hinc discant pueri omnes non honorare tantum patres sed illis etiā parere. Vbi multa dici possent, quō parētes, in omni pietate educare debeāt liberos suos. Vnde fit ut equidem morum seculi huius tam deprauatorum, rationem ponam non postremam, educationem prauam liberorum, qui in omni leuitate ac prauitate, & peruersa contumacia educantur. Vide in sermonibus decalogi, præ

1. Corin. 1.  
Isaię. 18. 33

Johan. 12.  
Isaię. 6.

Job. 26.

Educatio  
puerorū.

cepto quarto. Adhæc quia multum diffusa est materia, hinc eò relegatam uolo. Tantum quod in summa huc pertinet, satis est dicere, parentes teneri modis omnibus filios instituere suos in fide Christi, in Christianis ceremonijs, in cultu dei & ecclesiæ. & quid multa? in omni timore dei. Timor enim dei fons uitæ est, & nihil illo melius, nihil præstabilius, cuius rei tota undiq; plena est scriptura. Et ubi in iuvene nullus est timor dei, ibi actum de tota hois illius est uita. Instituant etiã parentes liberos suos uerbis & exemplis pijs, nec eos uidere patiant oĩa quæ faciunt. prohibeant iurare eos, & peierare, impudice loqui uetent, similiter scommata & disteria iactare, lasciuas etiam cantilenas succinere. Insuper moneant eos calumniari neminem, cauillari & obrectare: doceant cum nemine uiciorum iurgari & contendere, nocere nemini, nihil cuiquam furari, deuastare nihil, non mentiri, non fallere, in crapula & potationibus, in ebrietate, superbia & præter conditionem suam pertinaci temeritate omnino non uiuere. Nam ut maxime ipsi parentes prohibi sint, & suorũ rament negligant educationem liberorũ, grauitè peccant, & iram aduersus se concitant diuinã: quod magno suo periculo docuit Heli. is enim quod non serio filios suos reprehendisset, hoc uno commisit, ut deus permitteret uno die utrunq; eius filium cadere in bello, arcam capi, & ne impune ipsi cederet auctori, factũ est, ut ijs malis omnibus auditis, uir ille iam senex & grandæuus, anxio & molestissimo animo, prolapsus de sella retrorsum iuxta ostium, fractis ceruicibus mortuus est. Hæc de puerorum educatione nunc dicta sufficiant. & quæ euangelium hoc obedientiæ tantum liberorum erga parentes meminit, & nos de illa tantum dicamus.

¶ Breuiter ergo, liberos dico non honorem tantum, sed & obedientiam suis debere parentibus: id adeo ex ueteri primum constat testamẽto, ubi præcepit dominus: Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audit patris & matris imperium, & coërcitus obedi re cõtemperit, apprehendent eum & ducẽt ad seniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij, dicentq; ad eos: filius noster iste proteruus & cõtumax est, monita nostra audi

proue. 14.

Ecc. 23.

2. Reg. 2.

Dent. 21.

te contemnit, comestationibus uacat & luxuriæ atq; cō-  
uicijs: lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur,  
ut auferatis malū de medio uestri & uniuersus Israël audi-  
ens pertimescat. O utinam nunc quoq; lex illa exerceret  
aduersus furciferos istos & mastigias, qui non contenti  
parentibus resistere, insuper toros ludo & alea absumunt  
dies, id sane si fieret, non paulo melius res haberent toti  
us Christianismi. Sed hic multum negligentes sunt, &  
in utranq; aurem dormiunt principes, omnesq; qui ma-  
gistratum gerunt, nec sceleratum istud uicium puniunt,  
quo non parentibus tantum suus detrahitur honor, sed  
cæteri quoq; misere depereunt iuuenes, malis exemplis  
seducti, ac mala societate infecti.

¶ Et esse illud magnum ac insigniter capitale pecca-  
tum, uel ex eo patet, quoniam in ueteri testamento ni-  
hil omnino, nisi peccatum esset mortale, morte punie-  
batur. Idemq; ex nouo testamento magis patet. siquidē  
Paulus inter cæteras Christianæ conuersationis regulas,  
& hanc ponit: Filij obedite parentibus uestris in dño. Et  
adhuc expressius aliquanto in alio loco dicit: Filij, obedi-  
te parentibus per omnia: hoc enim placitum est in do-  
mino. Hæc nimirum clara & apertissima sunt uerba, qui-  
bus Apostolus loco dei obedientiam illam præcipit libe-  
rorum erga parentes. Atq; in eius rei argumentum Pau-  
lus ad Romanos inter cætera uitia, in quæ gētiles turpi-  
ter prolapsi erant, istud quoq; enumerat, quod parenti-  
bus fuerint inobedientes. At iam nunc quàm prohdolor  
frequens est illud scelus: quàm grauius eo offendit præ-  
ceps in omne uitium iuuentus dominum deum suum, dū  
perrinaciter adeo iussa contemnit parētum? unde nō est  
ut speremus meliora, quàm diu inobedientia ista grassat  
impune in mundo. Aliud longe, aliud inquam nos docu-  
erat Salomon, illud attendamus: Conserua fili mi præ-  
cepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ: liga ea  
in corde tuo iugiter, & circunda gutturi tuo. Sed & san-  
ctus Ambrosius sententiam quandam super Lucam ha-  
bet, uere ambrosiam spirantem & redolentem: eam qui-  
libet bene educatus iuuenis memori semper debet tene-  
re mente. ait em̄: Primus gradus pietatis est, ut q̄s autore

Ephē. 6.

Colos. 3.

Roma. 12.

Proue. 6.

Ambro.

tibi uoluit esse deus, honores obsequijs, abstineas contumelijs, nec uultu lædenda est pietas parentum. Tu enim matri debes pudoris iniuriam, uirginitatis dispendium, partus periculum, matri longa fastidia, matri longa discrimina, cui miseræ in ipsis uotorum fructibus maius periculum est. Et cum ediderit quod optauit, partu absoluitur, nō timore. Quid anxios patres loquar pro filiorum profectu, & multiplicatis alienis uisibus census, iactataque agricolæ semina, posterorum ætatibus profutura? Profecto etiam, si quando liberi parentes suos temere & leuiter offendunt, quid mirum si ipsi quoque deinceps a liberis suis tractentur iniquissime, parq̄ ipsis reddatur p̄ sua ingratitude gratia, maxime cum fallere non possit certissimum illud Christi iudicium, *Qua mensura mensi fueritis, eadem remetientur uobis* quod sane ut quotidiano omnes subinde experimur usu, ita nemo perpendit, nemo considerat. Verū in omnibus illis ita intelligi hæc dicta uolo, si parentes & honesta præcipiant, & pia, non quæ contra deum sint. Alias sane hic loq̄sum uiresq̄ habeat uerbum illud in lege domini: *Malecictus qui non honorat patrem suum aut matrem suam.* Et dicet omnis populus, Amen.

Luce. 7

Deut. 27

Beda.

3. ¶ Ad hoc quod sequitur in Euangelio, *Mater eius conseruabat omnia uerba hæc in corde suo*, dicit Beda: *Maria cōseruabat uerba, siue quæ intellexit, siue quæ nondum intelligere uerba euangelij potuit: omnia pariter in suo corde, quasi ruminanda & diligentius scrutanda recondebat, quasi sedula discipula, nō ignara etiam paruulum illum summam esse sapientiam dei patris, unde nihil temere, nihil frustra ab eo diceretur aut fieret. & igitur sicut antea uerbum dei in immaculato sanctissimoq̄ utero suo conceperat, ita nunc uerbi illius tum declarationem, tum manifestationem in corde & pectore suo concepit, cum & ipse Christus in doctrina & miraculis suis omnibus uerbum se declarauit esse dei patris, formam uerbi & habitum hominis uelatum: & hoc est quod attentissime semper Maria considerauit. Et ratio quidem, quam obrem Maria hæc omnia ita conseruauit, adsignari potest hæc, quo ad seipsam, ut nimirum a filio suo repleta*

cur in omni sapientia dei. Altera quoque dari poterit, quoniam ipsa erat, cui concessum fuerat desuper mysteria cognoscere regni diuini. Conseruabat ergo tantisper, dum tempus esset ea reuelare, & id quidem erat post ascensionem Christi, cum iam omnia hæc apostolis & discipulis Christi manifestauit. Vnde etiam patres sancti dicunt Euangelistam hunc Lucam præ ceteris tribus plura scripsisse de pueritia Christi, de salutatioe angeli &c. quoniam hæc peculiariter ex Maria cognouerit, sicut & hanc pueri Iesu inuentionem solus ex omnibus Lucas commemorat. Qua in re exemplum quoque nobis præbuit Maria, uerba simul & facta Christi assiduo in corde nostro conseruandi, firmiterque retinendi: non sic obiter, ut uix una penetrata aure, per alteram euolet. Quin potius & ipsi posteros nostros doceamus, quod & docuit & facere iussit dominus per prophetam dicentem: Spiritus meus qui est in te, & uerba mea quæ posui in ore tuo, non recedant de ore tuo, & de ore seminis tui, a modo usque in sempiternum.

¶ Ultimo tandem concludit Euangelista in hæc uerba: Iesus proficiebat sapientia & ætate & gratia apud deum & homines. Quorum quidem uerborum solidus est intellectus ex sanctorum patrum sententia, quoniam uere creuerit secundum carnem, contra Manichæos: sed & in sapientia creuit, non quod aliquid suæ accesserit rationi & intellectui, cum ab initio suæ incarnationis in eo fuerint thesauri omnes sapientiæ & scientiæ dei reconditi, cum ab infantia statim sciuerit & cognouerit omnia. Sed sapientiam illam quam in anima sua Christus habuit, indies magis ac magis uidentem exhibuit & manifestauit, ut iam falsum sit omnino & omni scripturæ contrarium (uide sermone præcedenti) Christum uere & re ipsa creuisse in sapientia, quod & nouelli somniant theologî. unde enim & a quo didicisset præceptore, quod duodecim iam annos natus cum doctoribus disputare ausus est, nisi a spiritu sancto, qui ex ipsa iam eius incarnatione super eum requieuerat assiduo, sicut in spiritu præuidit Maias? Siquidem etiam dandum aliquid erat nostræ naturæ moribus, inquit Hieronymus, ne aliquid extraneum a uidentibus reputet, tanquam homo paulatim crescente corpore manifesta

Matth. 28

Isa. 59.

Colos. 2.

Theoph.  
Hierony.

Isaie. 6.

Hierony.

Lucę. 2.

bat seipsum, & quotidie sapiensior ab audientibus & uidentibus censebatur. Et hoc ita esse, aperte satis arguunt ipsa uerba Lucae. superius namq; cum dixisset, puerū post septimanas iam sex in templum esse presentatum, adiunxit: Puer crescebat & cōfortabatur plenus sapientia. Nūc uero cū annorum esset duodecim, ait: Iesus proficiebat sapientia & ætate. sapientia inquā, in qua cum antea plenus esset, proficere quomō poterat? Euidenter igitur sequitur hinc, quia iam ante plenus sapientia erat Christus, iuxta superiora uerba Lucae, eundē iam Euangelistā tantum loqui de illa externa sapientiæ exhibitæ manifestatione. Verum tu hic mihi mutuas seculi nostri uices considera, sicut Christus sapientia profecit & gratia, ita nunc auuentus in malitia crescit & uitiorum omnium lerna.

¶ Ad sensum quoq; mysticum exponi potest euangelium istud, hoc mō: Quoniam Christus cum duodecim in annos natus sapiētiā suā manifestauit in Ierusalem, id significare uoluit, quod legem ille suam Euangelicā p̄ duodecim apostolos uniuerso uoluit in potescere & manifestari orbi terrarum. Et q̄ parentes uiliū suū Iesum in festo amissum post se rellexerunt, hoc sibi uult: quoniam in hunc usq; diem multi Christum in festiuitatibus ferē solennioribus amittunt, & cū septimana tota probi sint, festo demum die maxime peccant, crapula, ludo, & omni genere uanitatū. Sed quod illum triduum totum quasi uere parentes, p̄nitentiā designat, qua deus amissus rursus quæritur corde, ore & opere bono, per contritionem, confessionem & satisfactionem. Et tunc tandem inuenitur in templo, hoc est, in cuiusq; hominis boni anima sancta, quæ uere templum dei efficitur. Vel etiam in templo inuenitur materiali, cū iusta præmissa & præhabita p̄nitentiā ille in uenerabili suscipitur sacramento altaris. Et tunc quærentes se Christū arguit interno suo inspiratu, cur illi se quæserint inter uicinos & amicos, quibus pleriq; sæpe homines nimium freti plus satis tribuunt, qui multos non raro à Christo auocāt & c̄. Quod & quilibet in huiusmodi sensu spiritali exercitatus, facillime, multis ad hoc pertinentibus sacrae scripturae locis, inducere poterit, Rogemus dominum & c̄.